

ista fieri, posito auxilio efficaci, concedendum est in sensu diviso, et potentia antecedenti, negandum in sensu composito. Ista est enim generalis regula tradita a D. Thoma q. vi de verit. a. iv ad viii: « Communiter dicitur quod ista: Deus potest non prædestinatum prædestinare, aut prædestinatum non prædestinare, in sensu composito est falsa, in diviso, vera. Et ideo omnes locutiones illæ quæ sensum compositum implicant, sunt falsæ simpliciter. » Ubi dicendo omnes locutiones, universalisavit regulam illam, et sic quidquid ipse dixit, aut alii dicunt de hoc, quod est posse præstare impedimentum, posse resistere motiori Dei, posse dissentire, etc. et sensum compositum implicant, sunt falsæ, divisum, veræ.

Ad secundam confirmationem respondetur, quod in illo loco D. Thomæ inter adminicula et media, quæ ponit Deum adhibere, et præparare, non excludit adminiculum sui concursus, et efficaciæ voluntatis, licet iste concursus supponat illa adminicula, vel aliqua eorum adhibita ut moveatur voluntas; numerat enim suffragia orationum, donum gratiæ, etc. Ergo in illo dono gratiæ, cur intelligendus est excludere gratiam ex voluntate Dei efficacem?

XXXV. Secundo, arguitur ex eodem D. Thoma qui absolute affirmat quod necessitas præveniens ex causis prioribus, est necessitas absoluta, ut patet ii physic. lect. xv, et iii p. q. xlvi, art. i, ubi dicit quod: « Necessarium ex causa exteriori si sit efficiens, seu movens, causat necessitatem coactionis. » Sed efficacia divina est causa exterior, et antecedens seu prior, est etiam causa efficiens seu movens voluntatem in nostra sententia: ergo causat necessitatem absolutam seu necessitatem coactionis.

Confirmatur, quia ideo D. Thomas dicit quod: « Dispositiones, quæ sunt in voluntate, non tollunt libertatem, quia subjacent iudicio rationis, cui obedit inferior appetitus, » ut patet i p. q. lxxxiii, a. i ad v, sed efficacia divinæ voluntatis non est dispositio subjacens iudicio rationis, nec est in potestate voluntatis eam habere, vel habitam repellere: ergo tollit libertatem.

Confirmatur secundo ex eodem D. Thoma i p. q. lxxxii, a. ii ad ii, ubi docet quod: « Tunc movens ex necessitate causat motum in mobili, quando potestas moventis excedit mobile, ita quod tota ejus possibilitas moventi subditur. » Sed illa efficacia divini decreti excedit totum quod est mobile in voluntate creata, et ejus possibilitas totaliter subditur moventi: ergo causat de necessitate motum, et non relinquit liberum.

Respondetur aliud esse quod determinatio ex causa priori necessitet, aliud quod necessitas ex causa priori sit necessitas absoluta. Determinatio causæ liberæ ad aliquid agendum non causat necessitatem in illa, nisi sit determinatio tollens indifferentiam iudicii, non si sit determinatio tollens ejus suspensionem, et inducens inclinationem ad sequendum indifferentiam iudicii. Necessitas autem ex causa antecedente, et priori proveniens, est necessitas absoluta, sed in præsentia non est necessitas proveniens a Deo, sed determinatio ut causa liberi agat non quomodocumque, sed juxta modum suum liberum. Et sic non causatur in nostra voluntate necessitas absoluta, sed determinatio libera, quæ solum infert necessitatem consequentiæ, seu ex suppositione, non necessitatem absolutam. Unde ipse D. Thomas in hac quæstione xxix, art. viii, ponens idem argumentum quod: « Necessitas ex priori est necessitas

absolute, sicut animal mori est necessarium, quia est ex contrariis compositum, sed res creatæ comparantur ad divinam voluntatem, sicut ad aliquid prius a quo habent necessitatem, quia hæc condicionalis est vera: Si Deus aliquid vult, illud est: ergo omne quod Deus vult est necessarium absolute. » Ecce argumentum positum etiam nunc ab adversariis. Respondet autem S. Thomas brevissime glossando illud axioma, quod necessitas ab aliquo priori est necessitas absoluta, et dicit: « Quod posteriora habent necessitatem a prioribus secundum modum priorum, unde quæ fiunt a voluntate divina talem necessitatem habent qualem Deus vult ea habere, scilicet vel absolutam, vel conditionalem tantum. » Quasi dicat: Necessitas ab aliquo priori est necessitas absoluta, distinguo; si absolute sit causata, ita quod id quod causatur ab aliquo priori sit ipsa necessitas impressa suo causato, concedo; si id quod causatur ab aliquo priori non sit necessitas, sed potius contingentia, et libertas, solum autem per modum consequentiæ, et suppositionis sequatur illa necessitas, vel potius infallibilitas, nego.

Ad confirmationem primam respondetur optime dicere S. Thomam quod qualitates, quæ subjacent iudicio rationis, et voluntati, non auferunt libertatem. Inde tamen non licet inferre, quod qualitates omnes, quæ antecedunt voluntatem tollant libertatem, si proveniant a causa, et radice prima talis libertatis, et ad hoc datur illi, ut modum suum in ea servent, nempe quia non dantur tollendo indifferentiam iudicii, et necessitando voluntatem, seu ligando potestatem ad unum, sed apetiendo cor, et solvendo ejus indeterminationem, ut juxta indifferentiam iudicii reguletur, et ad ope-

rationem unam se determinet. Itaque aliæ qualitates subjacent iudicio rationis, et voluntatis, aliæ juvant et faciunt eam operari juxta modum suum; et licet non subjaceant voluntati, quasi ab ea emanent, tamen emanant a radicali, et prima causa talis libertatis, eique subjacent, faciuntque ut voluntati creatæ subjaceant qualitates suæ, quod est conservare in ea libertatem, et hoc sufficit ut libertatem non tollant, quia sufficit subjacere ipsi radici voluntatis, scilicet Deo, in quantum radix ejus est, et in quantum causat in ea rationem liberi. Hac enim ratione dicit D. Thomas iii contra gentil. c. lxxxviii, quod: « Impossibile est, quod voluntas moveatur a principio extrinseco, sicut ab agente; sed oportet quod omnis motus voluntatis ab interiori procedat, nulla autem substantia creata conjungitur animæ intellectuali, quantum ad sua interiora, nisi solus Deus. » Computatur ergo Deus inter causas internas voluntatis, non formaliter ut anima, sed radicaliter et eminenter, sicut causa prima libertatis. Et non loquitur de Deo ut movente per modum objecti, sed per modum agentis, quia per modum objecti, æque interne in vet Deum, et alia objecta, quia eodem modo proponuntur et movent. Unde omnis motio procedens active ab ista radice, et prima causa, ut libertatis causa est, non nocet nostræ libertati, sed juvat, licet a nobis emanet, nec nobis subiaceat, sed ipsi Deo ut radici nostræ libertatis.

XXXVI. Ad secundam confirmationem respondetur, quod ut movens necessitet mobile, necesse est quod potestas moventis ita excedat mobile, quod tota ejus possibilitas moventi subdat, ubi ibi dicit D. Thomas. Quod intelligendum est formaliter, quando tota possibilitas

subditur non manente possibilitate ad oppositum : si autem ipsum movens relinquat possibilitatem ad oppositum, et conservet eam, non necessitat ipsum mobile. Voluntas autem divina sic movet voluntatem ad unum, quod relinquit possibilitatem ad oppositum, et ita licet in infinitum excedat capacitatem voluntatis, non tamen omni isto modo se applicat illi mobili, quamdiu servat indifferentiam iudicii, sed applicat se causando ejus contingentiam, et possibilitatem ad oppositum. Dicit enim S. Thomas in primo ad Anibaldu, dist. XLVII, questione unica, art. IV ad II, quod: « Quamvis contrarium ejus quod est volitum a Deo non possit stare cum voluntate divina, possibilitas tamen ad contrarium potest stare cum ea, propter contingentiam causæ mediæ, et hoc sufficit ad hoc ut effectus sit contingens, et non necessarius. » Idem docet q. XXIII de verit. art. V ad III.

SOLVITUR ARGUMENTUM EX LIBERTATIS
LÆSIONE.

XXXVII. Post argumenta ex auctoritatibus sumitur secundum caput argumentorum a ratione quæ fundamentalis est in opposita sententia, scilicet quia efficacia decreti antecedens voluntatem, et determinate causans consensum, tollit ejus libertatem. Nec potest in hac parte intelligi quod ipsa libertas, seu modus libertatis in actu causetur ab ipsa efficacia causæ primæ. Et formatur argumentum sic: Efficacia, et determinatio decreti divini ad eliciendum actum liberum non est in nostra potestate, ut nobis detur, sed Deus distribuit hunc influxum, et gratiam prout vult, si quidem antecedit omnem actum, et consensum ex parte nostra: quidquid enim

antecederet, ab eo causari deberet. Nec est in nostra potestate, ut semel data repellatur et frustretur, ita ut de facto, et in sensu composito, stante illa efficacia non stet dissentiri voluntatem humanam: ergo illa efficacia tollit libertatem creatam. Consequentia probatur (nam de antecedenti non est dubium) quia tunc efficacia tollit libertatem, quando, cum sit suppositio antecedens, causat in voluntate determinationem ad unum, non relinquendo in voluntate potestatem ad expellendum eam, nec ex ejus principiis oritur, ut possit eam habere, vel illa cessare: ergo quando voluntas exit in operationem, exit sine indifferentia, et potestate ad oppositum, quia exit sine potestate in id, quo posito, non stat poni oppositum. Nec valet hic respondere illa vulgari distinctione de sensu diviso, et composito, de quo supra jam egimus, et dicere, quod postea illa voluntas oppositum in sensu diviso et potentia antecedente, non in composito et potentia consequente: nam præter illa quæ supra objecta sunt contra istam distinctionem, quæ hic instaurari possunt, in præsentia fit argumentum, quia illa potentia in sensu diviso, est solum potentia ad aliquid in se impossibile, et chimæricum: ergo ipsa est chimærica. Consequentia patet. Et antecedens probatur, quia tolli, seu dividi, aut extinguere auxilium ab ista voluntate est impossibile, cum auxilium illud non sit a voluntate, sed a Deo, nec voluntas possit impedire Deum, ne recipiatur in se. Non extincto, nec sublato auxilio etiam est impossibile voluntatem prodire in contrarium actum, aut illum ad quem movetur omittere. Quod patet, quia illud est impossibile, quo posito in actu, necessario, et semper sequitur aliquod inconveniens et repugnans; sed si stante auxilio, oppositus actus ponatur

in actu, sequitur aliquid repugnans et inconueniens, scilicet quod frustretur voluntas efficax Dei a sua creatura: ergo illud est impossibile: sed objectum illius potentiae sumptæ in sensu diviso est actus oppositus illi ad quem movetur defacto a Deo, ergo stante auxilio, illa potentia in sensu diviso est ad aliquid impossibile et chimæricum; aut assignetur aliud objectum talis potentiae, circa quod dicitur potentiam manere, et de illo constabit manifeste quod non manet objectum possibile, cum illud dicatur possibile, quo posito in actu, nullum sequitur inconveniens, seu repugnans.

XXXVIII. Confirmatur, quia ut tollatur libertas hic et nunc a voluntate, posito illo auxilio, perinde est quod tollatur potentia ad oppositum, vel quod impediatur facultas; sed posita illa efficacia antecedente, impeditur facultas voluntatis ne faciat oppositum: ergo tollitur libertas. Minor probatur. Tunc manet aliqua facultas impedita ad aliquem actum quando aliquid est in illa obstans ne talis actus ponatur in re, sed quando efficaciter Deus movet ad consensum, facultas ad dissensum, habet aliquid obstans ne tunc ponat dissensum, nempe efficaciam illam antecedentem infallibilem, quam nec potest voluntas avertere, nec frustrare ea semel posita: ergo habet impedimentum ad dissensum: ergo non manet libera potentia ad dissensum, quia nec expedita. Sicut homo injectis vinculis non manet liber ad ambulandum, licet possit stare, vel sedere. Quod si manet illa potentia libera, et expedita ad oppositum actum, unde constat quod non habebit illum? An quia Deus denegat illi concursum ad talem actum, et solum concedit ad oppositum? Ergo hoc ipso impedit, quia nullum majus impedimentum pro creata

potentia, quam sibi denegari concursum Dei.

Respondetur hoc argumentum, et alia similia quæ fundantur in læsione nostræ libertatis si efficaciter movetur a Deo antecedenter ad consensum, non sunt alia, quam quæ olim S. Augustino objecta et ab ipso fuere contrita, et deinde a sanctis patribus, atque a D. Thoma sæpissime soluta sunt. Nam hoc idem argumentum objectum fuisse Augustino, quod tolleretur libertas arbitrii per illam antecedentem efficaciam decreti divini, constat ex epistola Prosperi ad Augustinum ante librum de prædestinatione sanctorum, ubi refert Semipelagianos dixisse: « Removeri omnem industriam, tollique virtutes, si divina constitutio humanas præveniat voluntates, et sub hoc prædestinationis nomine fatalem quamdam indici necessitatem. » Et hujus argumenti occasione composuit S. Augustinus librum de gratia et libero arbitrio, in quo postquam latissime ostendit quomodo non tollatur libertas nostra per gratiam, sic concludit capite XX: « Satis me disputasse arbitror adversus eos, qui gratiam Dei vehementer oppugnant, qua voluntas humana non tollitur, sed ex mala mutatur in bonam, et cum bona fuerit, adjuvatur: et sic disputasse, ut non magis ego, quam divina ipsa Scriptura vobiscum locuta sit evidentissimis testimoniis veritatis. Quæ Scriptura divina si diligenter inspiciatur ostendit non solum bonas hominum voluntates quas ipse facit ex malis, et a se factas bonas in actus bonos, et in æternam dirigi vitam: verum etiam illas quæ conservant sæculi creaturam, ita esse in Dei potestate, ut eas quo voluerit, quando voluerit faciat inclinari, etc. » Sic Augustinus. Sic hæc consideravimus, quod voluntas nostra ita est

fixa in anima nostra, quod est in potestate Dei, licet in Deo non sit inhærens, sed ab eo causata, facile nos expediemus ab istis sophismatibus, et araneorum telis, quæ fere omnes æquivocant in illo verbo potest seu possibile, ubi fiunt modales divisæ et compositæ, et omnes modales affirmativæ de sensu composito redduntur falsæ, ut supra ex D. Thoma retulimus. Et ipse D. Thomas omnia ista argumenta de læsione libertatis nostræ ex efficacia motionis divinæ posuit, et solvit tum 1 p. q. XIX, art. VIII, et 1-2, q. X, art. IV ad III, et q. XXIII de verit. art. V, et in I, dist. XLVII et III contra gentil. c. LXXXVIII, LXXXIX, XC et XCIV, tum agendo de certitudine prædestinationis in hac prima parte, q. XXIII, art. VII et q. VI de verit. art. III et V.

XXXIX. Igitur ad argumentum dicimus non esse in nostra potestate auxilium divinum, quasi effective, et originative, id est, quod a nobis causetur, et derivetur, esse tamen in nostra potestate quasi terminative, et quoad usum, quia ad hoc terminatur illa motio, et efficacia Dei, et hoc respicit pro termino, et fine, ut nostra voluntas habeat potestatem et modum libertatis in actu. Quare licet non oriatur a nostra potestate, oritur tamen a radice, et causa nostræ potestatis, quæ est Deus, et sic habet causare in nobis potestatem, non tollere. Et sic perinde est oriri a Deo, et a nobis quoad effectum causandi libertatem et non tollendi, quia Deus est ipsa nostra voluntas eminenter seu radicaliter, quia est principium, seu radix intime causans illam. Unde oriri illam determinationem efficaciter a Deo cum sit a radice nostræ libertatis, non præjudicat illi, sed causat; sicut enim substantia animæ si habet aliquem influxum in potentiam voluntatis, non

destruit ejus libertatem, sed constituit, quia est radix talis potentiæ, et habet pro effectu ipsummet actum ut liberum: ita Deus qui est radix animæ, et vita vitæ ejus per modum principii agentis per influxum suum non destruit libertatem, sed adstruit, quia influxus ejus quantumcumque antecedens, est influxus radicis ipsius libertatis, habens pro effectu ipsum liberum actum, etiam in quantum liberum. Et ita ille influxus est determinative in potestate mea, non originative. Vel etiam est in potestate mea eminenter, et radicaliter, quia est in potestate Dei, qui est eminenter, et radicaliter mea voluntas, et quod est in potestate Dei, ut causantis, et concurrentis cum mea voluntate, ut libera, est perinde atque esse in mea potestate, quia hoc habet pro effectu.

XL. Et similiter cum dicitur nos non posse repellere illam efficaciam et influxum a Deo nobis datum, respondetur quod cum ille influxus, et efficacia non solum respiciat, et intendat quod actus fiat, sed etiam quod libere, et contingenter fiat, et utrumque ab illa derivetur, et participetur, non potest voluntas repellere illam efficaciam in sensu composito, et potentia consequenti, et facere quod ille actus non fiat libere, quia supra totum hoc cadit efficacia, potest tamen repellere illum actum absolute, et secundum se, quia hoc ipso quod Deus dat ipsum modum libertatis, dat posse oppositum absolute, quia hoc est dare quod libere fiat. Et ita D. Thomas III contra gentil. c. XCIV, circa finem dicit quod: « Hæc conditionalis non est vera: Si Deus providit hoc futurum hoc erit, sed sic erit sicut providit futurum: providit autem illud esse futurum contingenter: sequitur ergo infallibiliter quod erit contingenter, non necessario. » Patet etiam quod hoc quod ponitur provisum es-

se a Deo ut sit futurum si sit de genere contingentium, poterit non esse secundum se consideratum; sic enim provisum est, ut sit contingens potens non esse, non tamen est possibile quod ordo providentiæ deficiat, quin contingenter eveniat.

XLI. Et cum aliqui instant, quomodo concursus, et efficacia Dei dat libertatem illam, et contingentiam si dat determinationem ad unum, non autem præbet ipsam potentiam seu facultatem libertatis et quomodo stat dare quod fiat contingenter si infallibiliter, respondetur quod concursus non dat libertatem quantum ad potentiam ipsam: hæc enim ipsa creatione animæ fit, sed quantum ad usum ut utatur non coacte, sed libere actu suo. Et dat determinationem ad unum in ipso actu conservando facultatem et possibilitatem ad oppositum, non tollendo, et solvendo ipsam determinationem, et suspensionem ad operandum, non potestatem, et universalitatem dominativam, coarctando. Dat autem quod fiat infallibiliter ex parte Dei operantis, contingenter autem ex parte effectus operati, ita quod ex parte Dei intendentis totum hoc quod est totum fieri libere, infallibilitatem habet illa operatio ut a Deo; ex parte autem causæ proximæ contingentiam, et mutabilitatem habet, quia hoc ipsum Deus vult, sicut in se immutabilis existens, et operans facit effectus mutabiles, et motus ipsos, et infinitus existens, effectus finitos. Et sic dicit S. Prosper II de vocatione gentium, c. XXVIII, quod: « Deus ad obediendum sibi, ipsum velle sic donat, ut etiam a perseverantibus ipsam mutabilitatem, qua potest nolle, non auferat. »

XLII. Ad id quod dicitur contra sensum divisum in Iy potest, respondetur imprimis, instari illam re-

plicam in aliis similibus, ut cum dico: Prædestinatus potest damnari, seu non salvari in sensu diviso: voluntas dum operatur potest non operari in sensu diviso: quid est illa potentia, et ad quid est? Estne ad aliquid impossibile et chimæricum, et quod repugnat in re poni? Et tamen ab omnibus conceditur illa potentia. Nec obstat quod sensus compositus debet fieri supponendo ipsum actum qui procedit a voluntate nostra, non aliquid antecedens illum quo determinetur ad unum. Nam contra est, quia prædestinatio aliquid antecedens est nostrum actum, et tamen supposita prædestinatione adhuc potest prædestinatus damnari in sensu diviso, et potentia antecedenti, non in sensu composito. Et ipsa efficacia Dei licet sit antecedens, tamen est causa nostræ libertatis, et eminenter illam continet, et sic perinde est facere sensum compositum et divisum cum illa, et cum nostro actu.

XLIII. Quare ad instantiam, cum dicitur quod illa potentia in sensu diviso est ad aliquid chimæricum, et impossibile, eodem modo distinguendum est; ad aliquid impossibile secundum se, et simpliciter consideratum, nego, et ad hoc tantum datur potentia; ad aliquid impossibile ex suppositione, id est, ut conjungendum in re cum auxilio, transeat; sed ad hoc non datur potentia, quia solum hoc potest fieri in sensu composito, et in illo non potest concedi. Unde in istis argumentis mutatur sensus divisus, et compositus, et ideo non tenent.

Cum autem dicitur quod illud est impossibile, quod est repugnans, et inconveniens poni in actu, respondetur eodem modo, quod illud quod est inconveniens, et repugnans poni in re absolute, et ex vi suorum prædicatorum, est etiam impossibile simpliciter, et absolute. Quod autem